auten. de ſctiſſimis epis §. Interdicimus.
coll. ix. ꝙ clerici inſpectores ipſius ludi tri-
bus ānis a miniſterio arceri debent. Sex-
to participāt cōitates ⁊ p̄ncipes non inhi-
bentes hmōi: qui ex officio vel iuramento
tenent᷑ punire luſores ⁊ nō faciūt. Sed fi-
nale malū inde pueniens eſt deſperatio ⁊
eterna damnatio. Nam cōtigit in ciuitate



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

E Mutine in italia: ꝙ vnus fuit tantum de-
ſperatus de ꝑditiõe denarioꝝ: ꝙ ter ſe ſu-
ſpendit: ſed in ꝑmis duabus vicibus a vici-
nis fuit liberatus. In tertia dãnatus. Se-
cũdus iuſſit vxorem ⁊ filios ire dormitum
⁊ cõgregauit multitudinẽ lignoꝝ ⁊ ſtrami
nũ: ⁊ incendit vt ſe ⁊ oĩa cremaret. Sed
auxilio vicinoꝝ fuit liberatꝰ. Tertiꝰ aſcen-
dit murum ciuitatis: ⁊ affuit demon in ſpe
cie griffi: ſubito ducens eũ cũ corpe ⁊ aĩa
in baratrũ inferni. Aliud exemplum ſcribit
Cyrillus in epĩs ad beatũ Auguſtinũ de
miraculis beati Hieronymi de quodã ne-
pote ſuo Ruffus nomĩe: qui ĩ decimoocta
uo anno de corpore exiuit. Eo mortuo ro-
gauit btm̃ Hieronymũ: vt quid nepoti ſuo
acciderit reuelaret. Glorioſus Hierony-
mus eius annuens precibus eo orante die
quadaꝫ hora nona tantꝰ fetor euenit ꝙ na
ribus nullatenꝰ poterat tolerari. Hic cum
cogitaret vnde tantus eſſet fetor: eleuatis
oculis ſurſum vidit ſuper verticem nepotẽ
ſuum igneis cathenis circũligatum ad in-
ſtar fornacis que flãmas fetidiſſimas erũ-
pebat. Ad hãc viſionem territus cepit per
F quirere voce tremebũda ſi ipſe eſſet nepos
ſuus. Reſpondet. Utinam nunq̃ꝫ fuiſſem.
Nam tam diris cruciatibus non eſſem de-
putatus. Nunc ſcias me tartareis manſio-
nibus perpetuis temporibus permanſu-
rum. Qui tandem ab eo interrogauit: cur
fuiſſet damnatus. Reſpondet. Pro nulla
ſcias me cauſa fore damnatum: niſi quia
in ludis maxime delectabar. Et q̃a in mor-
te accepta penitentia: quã ſtulta ignorãtia
ſuadebat poſtpoſui cõfiteri: diuinã nõ me-
rui adipiſci veniam. Hec dicens ab illius
oculis euanuit: ⁊ horribilis fetoris idẽ mã
ſit: vt nullus auderet intrare. ¶ Aliud ex-
emplum ponit ibidem dicens. In ſamaria
quindecim nondum expletis diebus: dum
quidam miſer ludens quaſi omnia que ha-
bere poterat conſumpſit glorioſum nomen
Hieronymi cepit auſu temerario blaſphe-
mare. Quem vix finientem verba videnti-
bus ⁊ ſtupentibus cunctis: mox e celo ful-
men veniẽs interemit. ¶ Aliud exempluꝫ
ibidem. Tribus alijs in tyro ludentibus
hoc accidit: dum illi vellent incipere lude-
re ludũ ſuũ dixerunt. Quamcũq̃ꝫ vis exer-
cere Hieronyme vim exerce: quia te inui- G
to ludum iſtum terminabimus. Quo qui-
dem primordiato ſe terra aperiens illos
ſolum abſorbuit: vt ex eis amplius nil fue-
rat viſum.

¶ Sabbata ſanctifices.

Tertiũ pctm̃ quo violatur ſabbatum
cõmuniter eſt ſaltatio ⁊ chorea: di-
cente cañ. de cõſe. diſt. iij. ca. Irreli-
gioſa cõſuetudo eſt quã vulgus ꝑ ſctõꝝ ſo-
lẽnitates agere cõſueuit. Populi q̃ debent
diuina officia attendere: ſaltatiõibꝰ turpi-
bus inuigilãt cantica nõ ſoluꝫ mala canen-
tes: ſed officijs religioſoꝝ perſtrepũt. Hec
etem̃ vt procul ab oĩbus ꝓuintijs depellan
tur iudicio ſacerdotuꝫ cõmittant̃. Jõ dicit
Aug. ĩ li. de decẽ chordis. Meliꝰ inquit fa-
cere in agro ſuo aliquid vtile q̃ꝫ in theatro
ſeditioſus exiſteret. Et melius femine eoꝝ
die ſabbati lanã facerẽt: q̃ꝫ tota die in neo-
menijs ſuis ſaltarent impudice. Hec Aug.
Itẽ de ꝯſe. di. iiij. c. Qui die ſolenni preter
miſſo eccľie ꝯuctu ad ſpectacľa vadit excõ
municet̃. Idẽ dr̃. C. de fer. le. dies feſtos H
maieſtati altiſſime dedicatos nullis volu-
mus voluptatibꝰ occupari. Sequit̃ ibideꝫ.
Nihil eodẽ die ſibi vẽdicet ſcena theatralis
circenſe certamẽ aut femiaꝝ lachrymoſa
ſpectacula. Querit̃ vtrũ chorisare in diebꝰ
dñicis ⁊ feſtiuis ſctõꝝ ſit pctm̃ mortale ⁊
violatio ſabbati: Circa q̃d notãdũ ꝙ chori
ſare non eſt de ſe malũ ſiue illicitũ ſiue fiat
poſt cantũ hũanũ ſiue poſt ludũ inſtrumẽ-
toꝝ miſicaliũ: q̃d ptꝫ Exo. xv. vbi dr̃. Sũ-
pſit maria ꝓphetiſſa tympanũ ĩ manu ſua
egreſſeq̃ꝫ ſunt mulieres poſt eã cũ tympa-
nis ⁊ choris dicẽtes. Cantemꝰ dño glorioſe
⁊c. vbi ptꝫ ꝙ luſerũt cũ inſtrumentis muſi-
calibus ⁊ duxerũt choreas: q̃d fecerũt ad
laudandũ deũ: q̃a fuerũt liberati a captiui
tate egyptiaca: ⁊ eorũ inimici fuerunt ſub-
merſi in mari rubro. Secũdo hoc ptꝫ exem
plo filie Jepte: de qua Judicũ. xi. dr̃ ꝙ fi-
lia vnigenita Jepte occurrit patri ſuo cum
tympanis ⁊ choris cantãs in inſtrumẽtis
muſicis ⁊ choriſans cũ virginibꝰ ſuis cum
pr̃ eius rediret ⁊ expugnaſſet filios amon
⁊ talis nõ reprehendit̃ in ſacra ſcriptura.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tertio patet hoc exẽplos ſacre ſcripture.ſ.
A ex ꝑmo Reg.xviij.ꝙ cũ Dauid reuerteretꝛ
de pugna: ⁊ interfecto Goliath phyliſteo
ferret caput ipſiꝰ abſciſſum a trunco in hie
ruſalẽ.Egreſſe ſunt mulieres de vniuerſis
vrbibus iſrael cantantes choreaſq; ducen
tes in occurſum regis Saul laudantes at
q; dicẽtes.Saul ꝑcuſſit mille: ⁊ Dauid de
cem milia.Quarto ptz hoc idem.ij.Regũ.
vj.Cũ Dauid duxit arcã dñi in ciuitatem
ſuã: tunc ipſe Dauid ꝑcutiebat in organis
armigatis: ⁊ ſaltabat totis viribꝰ ante ar-
cam dñi: ⁊ tamen de illa chorea nõ eſt re-
ꝓhenſus:ſed laudatꝰ.Quia cũ mycol filia
Saul Dauid de tali chorea reprehenderet
dicẽs.Q̃ʒ glioſus fuit hodie rex ſicut vnꝰ
de ſcurris.Añt Dauid.Uiuit dñs quia lu-
dam añ dñm ⁊ vilior fiam q̃ elegit potius
me q̃ʒ patrem tuũ.Et depoſt facta eſt My-
col ſterilis ꝓpter hoc ꝙ regẽ deriſit.Quin
to ptz Luce.xv.de filio ꝓdigo reinuẽto:ꝙ
pr̃ ſuꝰ cũ amicis ſuis cecinit ſymphoniam
⁊ choros.Sed ſciẽdũ ad hoc ꝙ homo cho
riſet ſine pctõ:req̃runtꝛ ſeptẽ: ſicut põt elici
ex dictis Bonauenture ⁊ Alberti magni:
B ⁊ alioꝝ doctoꝝ circa di.xvj.quarti ſentẽ.
⁊ ex dictis autoris ſumme ꝯfutum ⁊ piſa-
ni.Requiritꝛ primo: ꝙ choriſans ſit perſo-
na ſecularis.Non eñ ſpũalibus perſonis
et religioſis monachis aut monialibus:
preſbyterꝫ aut clericis licet choriſare.Cu-
ius cauſa prima eſt:quia choriſare ⁊ lude-
re ⁊ iocari non decet ſpirituales perſonas
quia ſunt electi in ſortem domini ⁊ miniſte
rium dñi.vt patet.xxj.di.c.cleros.Secun
da cauſa eſt: quia per hoc ſcandalizantur
faciliter ſeculares.Uideant ergo ille mulie
res cum choriſant cum monachis ⁊ preſby
teris quantũ peccent.Et etiam illi viri qui
choriſant cum monialibus ⁊ faciũt de clau
ſtro theatrum.De hoc enim tripudiat dia-
bolus ⁊ gaudet totus exercitus diabolo-
rum.¶Secundũ eſt: ꝙ choriſent ſolum vi-
ri mutuo ſeorſum a feminis: ⁊ femine ſeor-
ſum a viris.Ex hoc patet ĩ exemplis ſupra-
poſitis:quia ibi non legitur viros ſe miſcu-
iſſe cum mulieribus.Ideo Exo.xv.dicitꝛ.
Sumpſit ergo Maria tympanum in ma-
nu ſua: ⁊ egreſſe ſunt omnes mulieres poſt
eam.Ibi non̄ legitur: ꝙ viri egreſſi ſunt
poſt eam: neq; etiam cum Dauid ſaltauit C
ante arcam:legitur ꝙ habuit mulierem ſe-
cum.Ratio huius eſt:quia dicit Hierony-
mus in quadam Omelia.Nõ credo inquit
viro ſi dicat ſe illeſum euaſiſſe a ſpectacu-
lis talium:cuʒ Dauid eo ꝙ vidit Berſabee
prouocatus ſit ad adulterium.vt patet.ij.
Regum.xj.Si ergo ſolus viſus ꝓcurauit
regem dauid ad libidinem quantũ non de-
bent ꝓuocare cantus tactus oſcula ample
xus mulierum choriſantiũ: ⁊ impudice co-
gitationes ⁊ viſus: cũ dñs dicat Mat.v.
Qui viderit mulierẽ ad cõcupiſcendã eam
iam mechatus eſt eam in corde ſuo.Secũ-
do hoc idem patet:quia periculũ eſt ſe da-
re voluntarie ad pugnam: vbi inimicus.ſ.
diabolus multos habet gladios ad occidẽ
dum.Sed diabolus habet multos gladi-
os in chorea ad iugulandum animam viri
⁊ econtra tot.ſ.quot ibi ſunt mulieres pul
chre ornate: ⁊ quelibet illaꝝ eſt gladiꝰ dia
boli:mediante quo occidit virum ſpũaliter
in anima.Et ſi non poteſt ope facit ſaltem
voluntate.Uñ Hiero.Gladius igneus eſt D
ſpẽs mulierũ.Similiter ꝑiculoſum eſt bel
lare cum inimico: qui habet gladiũ extra-
ctũ extra vaginã: mĺto ꝑiculoſiꝰ eſt ſi habꝫ
multos gladios euaginatos.ſ.pallia ⁊ ſu-
pertunicalia remouendo ⁊ denudando ſe
⁊ pepla deponendo vt collum videatꝛ etiã
vſq; ad mãmillas: tunc fortius incitant vi-
ros ad luxuriaʒ.Eodẽ modo eſt de viris q̃
aliqñ ſatis impudice ſe denudant vſq; ad
ioppas:in quibus coram mulieribus cho-
riſant.¶Tertiuʒ eſt q̃d requiritur ad cho-
ream: ꝙ nõ vtatꝛ turpibus aſpectibus ⁊ ge
ſtibus inordinatis laſciuis aut luxurioſis
ꝑ quos ꝓximus poſſit ꝓuocari ad luxuriã
alias peccat mortaliter.Ideo dicitꝛ Mat.
xviij.Qui ſcandaliſauerit vnum de puſil-
lis iſtis qui in me credũt:expedit vt ſuſpen-
datur mola aſinaria in collo ⁊c̃.¶Quar-
tum eſt ꝙ ſit poſt muſicã aut cantũ qui non
ſit turpis aut de re mala: ſed debet eſſe de
re bona ⁊ virtutibus aut bonis moribus:
ſicut patuit de ſorore moyſi ⁊ oĩbus de qui
bus ſupra dictũ eſt.Ex his patet ꝙ nõ ſunt
licite choree que fiunt poſt muſicã aut can

E tū q̄ fiūt de re turpi ſicut eſt luxuria in qui-
bus laudaꝛ amor carnalis aut alia opera
diabolica. ¶ Quintum eſt ꝙ choriſet ex bo
na intentiōe ⁊ ꝓpter aliquē finem bonum
ſcꝫ cā recreationis cuius indiget vł vt lau-
det deū vel vt regratieꝛ deo ſuꝑ aliq̊ bñfi-
cio ſibi ꝓſtito. vtꝫ de maria ſorore moyſi et
alijs. Si em̄ chorea fit ꝓpter malum fineꝫ
tunc eſt mala: vel cū quis choriſat propter
malam laudē. ſ. vt laudeꝛ: q̄a ſcit bene cho-
riſare. Siłr ſi facit propter hoc vt aliquem
ꝓuocet ad iram vt ſic habeat occaſionē le-
dendi eū. Sepe em̄ aliqui ſtulti ⁊ vindica-
tiui hoīes occaſionē contra ꝓximū ſuū ha-
bentes q̄runt talē occaſionē in choriſando
⁊ ſic ꝓuocant eos ad iram: ⁊ inde aliquan-
do ſequuntur homicidia: ſicut fieri ſolet in
dedicationibꝰ ecclīaꝝ vel vt ꝓximum ad li
bidinē inſtigent. Sicut heu cōiter nunc fit
inter iuuenes mulieres ⁊ viros que mu-
tuo fiūt philocapti. Similr̄ ſi fieret hoc vt
honor vel reuerentia idolo exhibeaꝛ: qua-
lis fuit chorea filioꝝ iſrael choriſantes cir-
ca vitulū. De quo Exo. xxxij. Ideoq̄ voca
tur dancz in nr̄a lingua: q̄ de tribu dan fu
erūt ꝓ̇ncipaliores in illo peccato: ⁊ tale eſt
F grauiſſimū pctm̄. ¶ Sextū eſt ꝙ hō debet
choriſare: vt non ex ſua chorea ſequaꝛ ali-
qd̄ malū: vt ſunt odia: rixe ⁊ leſiones: ho-
micidia ⁊ ſcandala peſſima proximorum:
aut aborſus mulierū que aliq̄n ſaltant cum
tanta violentia ꝙ faciūt aborſum: ⁊ fetus
moriꝛ ⁊ damnaꝛ vel mulier iuuencula in-
firmaꝛ. Aut vetule q̄ aliq̄n ſaltant ꝙ iacēt
ī lecto octo diebꝰ. Si etem̄ iſta mala ſequi
poſſent eſſet pctm̄. ¶ Septimū eſt ꝙ non fi
at chorea ī locis ſacris. vt ptꝫ extra de celꝛ.
miſſa. c. graui. in cle. ꝙ nō eſt choriſandum
in cimiterijs ⁊ in locis ſacris vel ꝙ non fi-
at chorea in diebꝰ feſtiuis. Si in his die-
bus choriſant vel etiā tp̄e triſtitie peccant
mortaliter: ſicut patet ſupra in ꝓ̇ncipio de
cōſe. di. iij. c. Irreligioſa cōſuetudo eſt ⁊c̄.
nota. s̄. Et totiens violaꝛ ſabbatum quoti-
ens cōmittunꝛ ibi pctā mortalia: ſicut cōi-
ter nunc fit. Iſtis ſeptē cōditionibꝰ nō ob-
ſeruatis immo ibi cōmittunt oīa peccata
mortalia. Naꝫ ibi eſt ſuꝑbia q̄ eſt initiū oīs
pctī: ꝓpter quā lucifer celuꝫ ꝑdidit: q̄ non
ex humilitate ſolent hoīes choriſare nūc: G
ſed magis ex elatione: ⁊ pulchre ſe ornant
cū veſtibꝰ ⁊ appetūt alijs ꝓferri ⁊ cōtem-
nunt alios nō hn̄tes precioſas veſtes. Eti-
am appetunt choriſare cū magno ⁊ nobili
aut pulchro: ⁊ de hoc gloriāꝛ ⁊ aliquādo q̄
runt vanam gloriam mutando veſtes ſu-
as in eadem chorea. Et aliquando mulie-
res faciunt monſtra quia caput ornant ve-
ſtibus viroꝝ. ſ. caputijs ⁊ mitris virorum:
⁊ corpus cū veſtibus mulierum: immo qd̄
peius eſt alique īduūt ſimplr̄ veſtimēta vi-
roꝝ: ⁊ econtra viri induūt veſtimenta mu
lierum. De quibus nota in ſermone prece-
denti. Inſuꝑ ſe ornant cū coloribus vt pul-
chriores appareant ceteris: ⁊ ſic habēt ſu-
per ſe ſignū diaboli. Sequiꝛ ergo ꝙ ſunt fi
lij diaboli. Secundo eſt ibi inuidia: quia ſi
vna ꝑſona plus honoratur ⁊ habet melio-
ra veſtimenta: tūc cetere perſone quādoq̄
ei inuidēt. Uel ſi choriſant cū illa ⁊ non cuꝫ
eis: tunc inuident: vel ſi melius choriſat q̄
ipſe. Tertio ibi cōmittiꝛ luxuria. Nam ta-
les choriſantes ⁊ pulchre ſe ornantes plu-
rimoꝝ corda videntiū ad luxuriam ⁊ malā H
cōcupiſcētiā accendūt. vtꝫ Mat. v. Qui vi
derit mulierē ad ꝯcupiſcendam eam: iam
mechatus eſt eam ī corde ſuo. Quarto ibi
eſt auaritia: q̄ talia ornamēta veſtiuꝫ non
hn̄tes ſepe cōtra deū affectāt tales veſtes
⁊ pulchritudinē: ⁊ hoc ad malū finē peccā-
di. Quinto eſt ibi ira: q̄ ſepe iraſcuntur ꝙ
vna ꝑſona plꝰ ꝓ̄ferꝛ ī chorea q̄ ipſe. Itē ibi
eſt accidia q̊ ad cultuꝫ dei: ſunt em̄ celeres
ad ſeruiēdū diabolo. Naꝫ fiſtulatores ſunt
cantores diaboli ⁊ choriſantes ſunt mona
chi ⁊ moniales diaboli: ſicut monachi et
moniales cātantes horas ſuas ſcilicet ma
tutinas: miſſam ⁊ veſperas: ⁊ ſic de alijs.
Unde recitat Guilhelmus lugdunen̄. diffi
niendo choream ſic dicēs. Chorea eſt cir-
culus cuiꝰ centrū eſt diabolus: ⁊ circūferē
tia angeli eius: ergo aſtantes ſunt angeli
diaboli. Et ſic patet ꝙ oīa iſta pctā mor-
talia cōmittunꝛ in feſtis ſi q̄s choriſat in fe-
ſto. Eſt ergo minus malū arare in ſabbato
q̄ choriſare: quia q̄ laborat ſimpliciter pec-
cat frangendo ſabbatum. Sed choriſans
cōmittit oīa pctā mortalia: tales deum rur

A ſum crucifigunt̄. ¶ Ubi n̄otandum ꝙ ſex ſunt in chorea que requirunt̄ ad artē bene choriſandi. Primo ſi vultis bene choriſare ⁊ in hoc diabolo bn̄ placere ⁊ damnatiōez aīe incurrere: tunc debetis alte ſaltare. Et hoc iō vt eo ꝓfundius ad infernum cadere poſſitis. Quia ſicut dicit Aug. quilibet ſaltus qui fit in chorea eſt ſaltus in ꝓfunduz inferni. Jō quanto altius in chorea ſaltaueritis tanto profundius ad inferna cadetis. Et magna ſtulticia ē ſic ſaltare: immo ſi videres aīal brutū: equū: vaccam vel aſinū ſic ſaltare tunc diceres ꝙ eſſet aīal brutum ⁊ fatuum. Sed tu es animal rōnale ⁊ aſſimilas te hirco vel alio aīali irrōnali: contra dictuz pſ̄. qui ait. Nolite fieri ſicut equus ⁊ mulus: in quibꝰ nō eſt intellectꝰ. Ergo ſi non vultis ad infernū cadere: ſed celū aſcendere fugite choream ⁊ caueatis vos ab illa. Et hoc eſt cōſiliū: qꝛ multo melius eſt cū deo ⁊ ſanctis in celo regnare ꝙ̄ in inferno cū demonibus ⁊ damnatis eternam penaz ſuſtinere. Secundo requiritur ad choream: ꝙ brachia late extendant vt

B choream faciant: ⁊ hoc vt Jeſu chriſto irreuerentiā ⁊ irriſionē ſeu cōtemptum facere poſſint. Quia talis extēſio brachiorum ſignat extenſionē chr̄i in cruce: q̄ fuit expanſus ꝙ omnia oſſa ſua poterant dinumerari. dicēte pſ̄. Dinūerauerūt oīa oſſa mea. Item om̄es vene in ſuo beatiſſimo corpore fuerunt extenſe. Et ſic miſericordiā dei derident ⁊ iuſticiam dei contra ſe excitāt. Ideo q̄ nō vultis ex iuſticia dei cōdēnari: eius miſericordiā nolite irridere: ⁊ cauete a chorea. Item quotienſcūq̄ȝ deuoti homines manus ſuas leuant: totiēs deo ſacrificiū manuū ſuaꝝ offerunt. dicente pſ̄. Eleuatio manuū meaꝝ ſacrificiū veſpertinū. Sic econuerſo choriſantes quotiens manus ſuas extendunt diabolo ſacrificiū offerūt ⁊ ſeipſos. vn̄ Bernar. ī pſona chr̄i dic̄. Ego te acq̄ſiui manibus crucifixis: ⁊ tu te cōſumis manibꝰ diabolo dedicatis. ¶ Tertio qđ req̄rit̄ ad choream eſt caput erigere ⁊ alta voce cantare: ⁊ hoc ſignat inclinationem capitis chr̄i in cruce. Math. xxvij. Clamās voce magna emiſit ſpirituz. Pre cuius voce mota eſt terra: petre ſciſſe ſunt: ſol obſcuratꝰ eſt. Et tali clamori chriſti fit

C magna irreuerentia per talem cantū ⁊ ſonitū ſtimularū miſerabilius ⁊ horribilius clamabunt ⁊ lugebunt in inferno dicētes. Ue ve ve ꝙ vnq̄ȝ natus ſum. Melius mihi eſſet ſi natus nō fuiſſem: maledictus ſit venter qui me pctōrem portauit. Per ſecundū ve clamabunt ſuꝑ ſe ⁊ ſuꝑ propria membra ſua dicentes. Ue vobis pedes mei maledicti: qui me miſeruz portaſtis ꝙ per magnū ⁊ malū greſſum ⁊ ſaltꝰ illicitos celi ianuam clauſiſtis mihi. Ue vobis manus cur per malum tactū ⁊ illicitam extenſionem corona glorie me priuaſtis. Nam propter vos ducor ad ignem de quo nunquā egrediar. Ue tibi maledicta lingua quāta mala mihi feciſti: ꝙ turpia verba protuliſti: ⁊ frequenter illicitos cantus cantaſti. O maledicti oculi: qui per illicitum viſum dei viſiōe me priuaſtis: ⁊ nunq̄ȝ vnam lachrymam ꝓ peccatis meis fudiſtis. Jam incipit fletus miſerabilis ⁊ intolerabilis coram oībꝰ demonibus ⁊ damnatis. Ue tibi cor ꝙ mihi dediſti: ꝙ tuis cogitationibus malis ⁊ illicitis eternis gaudijs me priuaſti. Tertium ve D
clamabunt: dicentes. Ue pre amaritudine: ve pre multitudine: ve pre eternitate penarum. ¶ Quartum ꝙ ad choreā req̄rit̄ eſt: ꝙ cū manibꝰ ſe firmit̄ teneāt ⁊ cū manibus ⁊ brachijs ſe inuicē teneant ⁊ amplectūtur ne chorea de facili corrumpatur. Et hoc ſignat ꝙ ideo fieri debeat: vt diabolus eos firmius teneat in manu ⁊ ptāte ſua. Nam ī chorea exiſtētes ſunt in ptāte diaboli: quia ſunt ī ſeruitio eius. Et iſte diabolus vocatur ſchickendantz. quia recipit te ī poteſtatē ſuam cum accedis in chorea. Sed diceres ſi choriſans eſt ī poteſtate diaboli: cur nō ſtatim diabolus exercet poteſtatē ſuaz in talem hoīem? Rn̄r ꝙ hoc libenter faceret ſi deꝰ omnipotēs hoc permitteret. Un̄ legit̄ ꝙ in ep̄atu cameracēſi quedam puella choreis ⁊ cātilenis aſſidua erat: que ꝓpter pulchritudinē corporis ſui multos ad malā cōcupiſcētiā alliciebat. Quā ſemel cātantem in chorea confeſtim turbo rapuit: ⁊ in altum deferentes ſpūs maligni crudeliter verberauerūt: ⁊ diuerſis flagellis diuerſimode flagellabant. Ictus q̄dem audi

E ebant plurimi ſed videri non poterant: fle=
tem puellã audierunt ⁊ clamantẽ. Et poſt
modicũ interuallum cecidit mortua nimis
horribilis ad videndum: qa collum eius ⁊
oĩa membra eius fuerũt crudeliter fracta.
¶ Quintũ eſt ꝙ pulchre ſe ornãt. Nam ca=
put eoꝝ cũ coronis caputijs ⁊ peplis ⁊ cor
pus cum varijs indumentis ⁊ ſignat vt
choriſantes deformiores ⁊ nigriores ⁊ dia
bolo ſimiliores in inferno fieri poſſent. Nã
quanto plus caput ornant cum coronis et
corpus cũ indumentis: tanto oportet eos
habere penas ĩ inferno: quia quelibet tuni
ca ſuperflua ⁊ quilibet color varius ſpecia=
lem penam habebit ĩ inferno. Et ſicut chri=
ſtus fuit coronatus ſpinea corona: ſic in ſi=
gnum ⁊ deriſionẽ chriſti ornãt capita ſua.
¶ Sextũ qđ reqrit̃ ad choreã ẽ: ꝙ habeat
multos circũſtantes in ſignuꝫ ꝙ hẽbit de=
mones circũſtantes q̇ intantũ peccãt ſicut
choriſantes. Nam ipſi occaſionẽ dãt cho=
riſandi: quia ſi circũſtantes non aſpicerẽt:
tũc ipſi non choriſarent. Inſup eis placet
F chorea ⁊ in ea delectant̃: alias non aſpice
rent: de q̊ grauiter in inferno torquentur.
Quia in quo mẽbro ſaluator plus offendit̃
in eodẽ grauiꝰ offenſor torquet̃. Vñ patet
ꝙ antique vetule que circũſident choreas:
potius deberent intrare eccl̃ias vel came=
ras ſuas: ⁊ cõſiderare ſua pctã preterita ⁊
in iuuentute cõmiſſa ꝙ̃ ibi ſedere circa cho
ream ⁊ pctã ſua augmentare. Etiam ⁊ ter
tio ꝑ hoc ꝙ aſtãt approbãt choreã tãꝙ̃ lici=
tam ⁊ non redarguũt: q̃ tñ ſicut mõ fit ẽ il=
licita. ¶ Quarto peccant ergo aſtantes in
hoc ꝙ conſiderant diſpões verba ⁊ mo=
res choriſantiũ. Et tũc ex his ſic cõſidera=
tis iudicant choriſantes: qđ eſt ꝯtra euãge
liũ. Lu. vj. Nolite iudicare ⁊ non iudicabi=
mini: nolite cõdẽnare ⁊ nõ cõdẽnabimini.
Item q̇nto ꝓuocãt ad malas cogitatiões
⁊ ad libidinem ⁊ ſic philocaptant̃. Sed ali
qui volũt ſe excuſare a pctis ſuis dicẽtes.
Quõ ante cẽtũ ãnos hoĩes choriſauerũt:
ſic ⁊ hodierna die merito facere poſſunt.
Rñr ꝙ añ centũ annos hoĩes intrauerunt
infernũ: ſic ⁊ adhuc hodierna die faciunt.
Quia mala cõſuetudo nõ excuſat pctm̃: im
mo quãto diuturnior tãto ꝑiculoſior: pro=
ut dicit̃. xxiiij. q. j. c. ſciſma. Plaga eſt vindi= G
cta huius peccati. vtꝫ tã in veteri ꝙ̃ in no=
uo teſtamento. In veteri ptꝫ Exod. xxxij.
vbi dicit̃. Cũ deſcendiſſet moyſes de mon
te ſynai ⁊ portaſſet ſecuꝫ duas tabulas la
pideas ⁊ vidit vitulum ⁊ choros: iratuſqꝫ
valde ꝓiecit tabulas lapideas ⁊ cõfregit
eas. Deinde aſſumptis ſecum filijs leui in=
terfecit. xxiij. milia hoim. In nouo patet
Mar. vj. ꝙ ſaltatrix Herodis fecit ampu=
tari caput Joannis baptiſte: qui tãte ſan=
ctitatis fuerat ꝙ eum dñs per ſe cõmenda=
uit dicens. Inter natos mulierum non ſur
rexit maior Johanne baptiſta. De plaga
illius ptꝫ in ſpecu. hiſtoria. li. xxvj. ca. x. ꝙ
anno domini. M. c. xiij. tẽpore Herici ſecũ
di imperatoris cõtigit in q̃dam villa ſaxo=
nie vbi erat eccleſia ſancti magni martyrꝭ
In qua in vigilia natalis domini Rober=
tus preſbyter quidaꝫ ꝓ̇mam miſſam in no=
cte inchoauerat. At in cimiterio Otber=
tus quidã cũ. xviij. ſodalibus viris quinde
cim ⁊ feminis tribus choreas ducens ⁊ cã
tilenas ſeculares perſtrepẽtes: ita ꝙ ſacer H
dotem impediebant vt ipſe eorũ verba in=
tra miſſaꝝ ſolennia inuitus reſonaret. Il=
le mãdat eis vt tacerẽt. Quo neglecto im=
precatus eſt eis dicens. Placeat deo ⁊ ſan
cto magno: vt ita cantãtes ꝑmaneatis vſ=
qꝫ ad annum. Et verba põdus habuerunt.
Filius preſbyteri Joannes nomine ſororẽ
ſuã cantantẽ ꝑ brachium arripuit ⁊ ſtatim
illud a corpe euulſit: ſed gutta ſanguis nõ
exiuit. Illa vero toto anno cũ ceteris per=
manſit ſic choreas ducẽs ⁊ cantans ⁊ plu
uia nõ cecidit ſup eos non frigus nõ calor
non fames: nõ ſitis: non laſſitudo eos affe
cit. Indumenta ⁊ calceamenta nõ ſunt at
trita: ſed quaſi vecordes cãtabant. Primũ
vſqꝫ ad genua deinde vſqꝫ ad femora ter=
re dimerſi ſunt. Fabrica tecti aliquando
ſuper eos nutu dei erigebatur vt pluuias
arceret. Euoluto anno Helibertus colo=
nienſis eps eos abſoluit a nodo: quo ma=
nus eoꝝ ligabant̃ ⁊ ante altare ſcti magni
reconciliauit eos. Filia autẽ preſbyteri cũ
alijs duabus ꝯtinuo exanimata eſt: ceteri
aũt cõtinuis ꝑximis tribꝰ noctibus dormi=
erunt: ⁊ aliq̃ poſtea obierũt: ⁊ miraculis vt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ferꝭ choꝛuſcauerunt qꝛ valde penituerunt
A hec in ſpeculo hiſtoꝛiali.

¶ Sabbata ſanctifices.

Tertio modo exponitur illud prece-
ptum. Memēto vt diem ſabbati ſan-
ctifices: id eſt vt illa die puriſſime cō
templationi ⁊ perfecte quieti mentis po-
tiſſime intendas ab om̄ibus mundanis oc-
cupationibus te ſubtrahendo ⁊ cultui di-
uino vacādo: ⁊ ſingula dei bn̄ficia ꝯtractā
do deuotiſſime: eiqꝫ regratiando. ſm̄ illud
Eſaie. Miſerationum dn̄i recoꝛdaboꝛ: lau
dem eiꝰ dicam ꝑ oībus que reddidit nobis
dn̄s deꝰ nr̄. de his dicit Oꝛige. ſup Exod.
Si deſinas inq̄t ab oībꝰ ſecularibꝰ opibus
⁊ nihil mundanū geras: ſed ſpūalibꝰ opi-
bus vaces: ad eccl̄iam cōuenias: lectioni-
bus diuinis aurē p̄beas: ⁊ de celeſtibus co
gites: ⁊ de futura ſpe ſollicitudinem geras
venturū iudiciū p̄ oculis hēas: non reſpici
ens ad p̄ntia ⁊ viſibilia. Hec eſt cōuerſatio
ſabbati chr̄iano. hec Oꝛige. Foꝛte diceret
aliq̄s. Paupꝫ ſum: tantuꝫ hēo laboꝛare pro
oībus indigentijs ꝙ bene obliuiſcar cōtem
B plationis ⁊ oꝛonis. Huic rn̄deo ꝙ talis
debet diligenter addiſcere an ſua occupa-
tio maioꝛ ſit q̄ꝫ illiꝰ eximij regꝫ dauid q̄ ha-
buit regnū latiſſimum ⁊ terras plurimas
gubernare: q̄ tn̄ de ſeipſo dicit. Meditatio
coꝛdis mei in cōſpectu tuo ſemp. Et alibi.
Septies ī die laudē dixi tibi. Circa qđ eſt
notandū ꝙ in veteri lege q̄nqꝫ ſolebant fie
ri in die ſabbati que deus mandauit fieri.
Primo ſacrificioꝝ oblationē. Scđo deuo-
tam oꝛonem. Tertio legis ⁊ ꝓphetarū re-
citationē. Quarto elemoſynaꝝ largitiōeꝫ
Quīto deuotā meditationē. Hec etem̄ ma
gis debent fieri in noua lege q̄ꝫ in antiqua
ſi volumꝰ deuote celebꝛare ſabbatū. ¶ De
ſacrificioꝝ oblatiōe dr̄ Nu. xxviij. In die
ſabbati offeretis duos agnos immacula-
tos: vnū offeretis mane ⁊ alterū veſpere.
Sed magis hoc debet fieri in noua lege. ſ.
in miſſaꝝ celebꝛatiōe: in tp̄aliū oblatiōe: in
pctōꝝ cōtritiōe ⁊ miſſe deuote auditione.
De illo ſacrificio dicit Malachie. j. Ab oꝛ-
tu em̄ ſolis vſqꝫ ad occaſum magnū nomē
meū in gentibꝰ: ⁊ in oī loco ſacrificaꝭ ⁊ of-
ferꝭ noī meo oblatio munda. Jđ dicit pſ̄.

Jmmola deo ſacrificium laudis. Jtem ali C
bi. Sacrificiū laudis honoꝛificabit me: et
etiā vocaꝭ ſacrificiuꝫ iuſticie. ſm̄ illud pſ̄.
Sacrificate ſacrificiū iuſticie ⁊ oblatiōes.
Et alibi. Tūc acceptabis ſacrificium iuſti-
cie. Quia in illo ſacrificio deus maxie lau
daꝭ: ⁊ ibi relucet iuſticia diuia inq̄ꝫtum eſt
figura oblationis chr̄i ī cruce. vn̄. s. Tho.
iij. pte. q. viij. ar. j. dicit. Notandum ꝙ du-
plici rōe celebꝛatio huiꝰ ſacri oblatio dicit
Primo ſicut dicit Auguſti. ad Simplicium
ſolent imagines earū rerū noībꝰ appellari
quarū imagines ſunt ſicut intuentes tabu-
lam aut parietem dicimus: Jlle eſt Cicero
ille Saluſtius. Sed celebꝛatio huius ſacra
menti eſt quedam imago repꝛeſentiua paſ-
ſionis chr̄i: que vera fuit immolatio. Unde
Ambꝛoſiꝰ dicit ſup epl̄aꝫ ad Hebꝛeos. Jn
chr̄o oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiter
nam potens. Qđ ergo nos ꝑ ſingulos di-
es offerimus ad recoꝛdationem moꝛtis eiꝰ
eſt. Secūdo mō q̄ꝫtuꝫ ad effectū paſſionis
quia per hoc ſacramentū participes effici-
mur dominice paſſionis fructu. Jn quadā D
em̄ dominicali oꝛone dr̄. Quotiens huiꝰ
hoſtie cōmemoꝛatio celebꝛaꝭ opus noſtre
redemptionis exercetur. Ergo hoc ſacer-
dos in miſſa repn̄tat in caſula ⁊ alijs veſti-
bus. Jllud offertoꝛiuꝫ offertur omni die ꝓ
pter quinqꝫ ſm̄ Tho. in. iiij. diſtin. xiij. Pri-
mo quia opoꝛtet medicinā paratā eſſe ꝯtra
quotidiana pctā. Secundo vt lignum vite
ſemꝑ ſit in medio paradiſi. Tertio vt chr̄s
nobis quotidie vniaꝭ ſacramētalit̄: ⁊ nos
ei ſpūaliter. Quarto vt apud nos ſit iugis
memoꝛia paſſionis dn̄ice. Quinto vt ve-
ro agno loco typici vtamur: p̄terquam in
die paraſceues: qꝛ tunc nullus debet cele-
bꝛare. Quia ceſſat figura p̄nte re figurata
Miſſa eſt figura paſſionis chr̄i: ſed paſſio
chr̄i tunc eſt p̄ſens. Pro declaratiōe huiꝰ
materie ponam tres cōcluſiones. Prima
ꝙ ſolus ſacerdos rite cōſecratus nulla ma
cula deturpatus eſt miniſter deputatus
ad coꝛpꝰ chr̄i offerēdū. Patet ꝑ illud quod
dr̄. xxv. di. c. plectis. Ad preſbyterum in-
quit ꝑtinet ſacr̄m coꝛpis ⁊ ſanguinis do-
mini in altari dei cōficere. Jdeo datur ta-
li poteſtas in conſecratione ſua cū dicit ſi-

bi ab ep̄o. Accipe poteſtatem offerendi ſa-
E crificiũ in eccleſia tam pro viuis q̄ȝ pro de-
functis. Et dat̄ ſibi ad manus calix cuȝ vi-
no ⁊ aqua mixta: ⁊ patena cũ pane azimo
⁊ tũc dicuntur ſibi verba p̄ſcripta. Accipe
⁊c̄. ⁊ imprimitur ſibi caracter ī anima q̄ eſt
poteſtas ſpũalis ad corpus chr̄i ↄficiēdũ.
Et illa poteſtas eſt equalis in omnibus tā
malis q̄ȝ bonis: ſicut dicit Augu. in ſermo-
ne de ſacr̄o altaris: ⁊ ponitur. j.q.j.c. In-
tra catholicam eccl̄iam ī miniſterio corpo-
ris chr̄i nihil a bono maius ⁊ nihil a malo
minus perficitur ſacerdote: q̄ꝛ non in meri
to cōſecrantis ſed in verbo efficitur creato
ris ⁊ in virtute ſpũſſancti. Idem dicit̄ de
cōſe. di.ij.c. Panis eſt in altari ⁊ in.c. reue
ra. Sed miſſa mali ſacerdotis non eſt deo
accepta adeo ſicut boni: q̄ȝuis ſit eque ve-
ra. Correlariũ primũ. Nulla creatura pre-
ter ſacerdotē pōt tante ſanctitatis aut po-
teſtatis exiſtere: ꝙ valeat corpus domini
in altari offerre aut cōficere. Patet q̄ꝛ neq̄ȝ
femina ſancta: quia non eſt caracteris ſu-
ſceptiua: vt dicit. s. Tho. in. iiij. diſt. xxv.
q. iij. arti. j. Si mulieri omnia adhibeantur
que in ordinibus fiũt: non tamen ordinem
F ſuſcipet. Quia cũ ſacramentũ ſit ſignuȝ in
his q̄ in ſacr̄o aguntur requirit̄ non ſolum
res ſed ſignificatio ſicut in extrema vnctio
ne exigitur ꝙ ſit infirmus vt ſignificet̄ cu-
ratione indigens. Cum ergo in ſexu femi-
neo non poſſit ſignificare aliqua eminen-
tia gradus: nam mulier ſtatũ ſubiectionis
habet. Ideo nō pōt ordineȝ ſuſcipere. hec
ille. Item neq̄ȝ aliq̄s rex magnus eſt adeo
potens ꝙ poſſit corpus chr̄i cōficere dato
ꝙ ꝓferret verba: nō tamen conſecraret: q̄a
non habet caracterem. Etiam neq̄ȝ ange-
lus eadē rōne. Correlariũ ſecũdum. Qui
eſt in corpe aut in anima viciatus ab imo-
latione huius ſacramenti de iure eſt repro
batus. Probatur ꝑ illud. xlix. diſti. c. Hinc
etem̄ ſupna voce ad moyſen dr̄. ſ. Leuiti.
xxj. Loquere ad aaron. Homo de ſemine
tuo ꝑ familias ſuas hñs maculam nō offe-
rat panes deo ſuo: nec accedat ad miniſte-
riũ eius. Ubi reperte ſubiungit. Si cecus
fuerit ⁊c̄. Super quo dicit Nicolaus de
Lyra. Si maculam habuerit. i. notabilem

deformitatem: quia tales videntur cōtem- G
ptibiles: ne ex hoc vileſceret ſacerdotale
officiũ. Si cecus fuerit. i. ignarus diuine
legis. Si claudus. i. iniuſtus: quia eſt offi-
ciũ diffinitoris in foro conſcie. Naſo defor-
mis. i. indiſcretus: q̄a eſt officium diſcreto-
ris in lepra. Fract⁹ pede. i. ineptus ad gra-
diendũ in via mor̄: q̄a ſacerdotiuȝ eſt offi-
ciũ precurſoris. Mancus. i. impotens ope-
rari virtuoſe. Gibbus id eſt ſuperbus. Lip-
pus. i. videns obſcure in pertinentibus ad
ſalutem. Si habēs albuginem in oculo: id
eſt auarus. Habens iugē ſcabiem. i. caſtri
margiam hñs. Impetiginē habēs. i. luxu-
riam. Hernioſus. i. ruptus ⁊ ponderoſus
ad terrena affectuoſus. Correlarium ter-
tium. Peccant ſacerdotes ocioſi ab immo-
latione torpentes raro iſtud ſacrificiũ imo
lantes. de q̄b⁹ dr̄ extra de cele. miſſa. c. do-
lentes referimus. vbi dr̄. Sũt aliq̄ q̄ miſſa-
rum ſolennia vix celebrāt quater in anno.
Contra quos ap̄ls. ij. Cor. vj. Hortamur
vos ne in vacuum gratiam dei recipiatis:
quia in illis ſacerdotibus raro miſſam cele
brantibus talis p̄tās eſt vana: q̄ñ raro de- H
ducitur in actũ. Et aliquando habent talia
beneficia ꝙ de iure tenent̄ celebrare pro ſa
lute fundator̄: ⁊ non curant: ſubleuant tñ
pondus fructuũ. Uñ btũs. Gre. in omelia.
Cũ creſcũt dona: creſcũt ⁊ rōnes donor̄.
Ideo cum ſacerdoti ſit data p̄tās nobiliſſi-
ma reus negligentie erit niſi illa vtatur ad
honorē dei ⁊ ſalutē ſuam ⁊ alior̄. ſ. viuo-
rum ⁊ mortuorũ ſm̄ illud. j. Pet. iiij. Unuſ-
quiſq̄ȝ ſicut accepit gratiā in alterutrũ illā
adminiſtrātes niſi forte ex familiari inſtin-
ctu dimitteret. Iō ſacerdotib⁹ preceptum
eſt. Hoc facite in meaȝ cōmemorationem.
Sed alij econtrario prochdolor nunc cele-
brant magis propter pecuniam q̄ȝ propter
deũ: immo duas miſſas celebrant pro mo-
dico lucro q̄ eſt magna peruerſitas: ⁊ cōtra
illud q̄d dr̄ extra de cele. miſ. c. te referēte.
vbi dicit̄. Cum cuilibet ſacerdoti quacũq̄ȝ
prefulgeat dignitate vnaȝ in die celebrare
miſſam ſufficiat: nā valde felix eſt qui vnaȝ
digne celebrat. hec ibi. Excipitur tñ caſus
neceſſitatis ⁊ dies natalis in q̄bus q̄libet
pōt tres miſſas celebrare. vtȝ ibidem. c. cō

ſuluiſti. Etiã in neceſſitate qñ funus eſt ꝑ-
A ſens pōt dicere vnã miſſam de die ⁊ aliam
ꝓ defunctis. Sunt etiaʒ q̈dam ſacerdotes
q̈ ſunt valde indeuoti nullã habẽtes peni-
tus deuotiōem ad miſſaꝝ celebratiōem ac
cedentes ad altare ex q̈dam cõſuetudine
⁊ in pctis mortalibꝰ. Debet em̃ quilibet ſa-
cerdos celebraturus in ſe habere tria. Pri-
mo horaꝝ canonicaꝝ pſolutionẽ. Debet
em̃ dicere matutinas ⁊ primã cũ deuotiōe
vtʒ de cele. miſſa. c. dolentes. ⁊. c. pſ̃byter.
Secũdo orationũ ſpẽaliũ ꝑlibationẽ: ⁊ eſt
cõſilij: vt q̈libet dicat aliq̃s deuotas orati-
ones; qꝛ ꝑ eas mens ad deuotiōes excitaꝛ
⁊ ſpũs ad deũ dirigiꝛ ⁊ reliquie peccatoꝝ
aſtriguntꝛ. Tertio debet habere pctõꝝ pu-
rã cõfeſſionẽ: vt nullũ pctm̃ i ꝯſcia habeat.
Perpẽdant illi ſacerdotes peruerſi qui in
nocte ꝓcedenti iacuerunt cũ meretricibus:
⁊ de mane ſine verecundia inconfeſſi cele
brant. Contra quos dr̃. xlix. di. ca. Sacer-
dotes nomen dñi deſpiciunt: ⁊ q̃tum ad ſe
pertinet panẽ pollutũ offerunt qui ad alta
re indigne accedunt nõ aduertentes dictũ
B apľi. j. ad Corin. xj. Quicunq̧ manducaue
rit hunc panẽ indigne: iudicium ſibi mãdu-
cat ⁊c̃. O iudas infelix melius tibi fuiſſet
ſi nunq̃ natus fuiſſes. Secunda cõcluſio.
Quilibet chr̃icola nõ legitime impeditus
audire miſſam in dñicis diebꝰ eſt obligatꝰ.
Probatꝛ ꝑ illud qđ diciꝛ de cõſe. diſt. j. ca.
Miſſas omni die dñica ſecularibus totas
audire ſpeciali ordine precipimus: ita vt
ante benedictionẽ ſacerdotis egredi ppľs
non preſumat. Qđ ſi fecerit ab ep̃o publice
confundatꝛ. Diciꝛ glo. ſuper verbo precipi-
mus. Hoc dico inq̄t preceptũ eſſe. vñ con-
tra preceptũ faciunt qui diebus dñicis nõ
audiunt miſſas: niſi aliqua neceſſitas co-
gat. Hec glo. Idem dr̃. c. ſequẽ. ſ. cum ad.
Sed diceres. Hoc preceptum non cogit ni-
ſi ſeculares cum dicit ſecularibꝰ. Ergo cle-
rici ⁊ religioſi pñt dimittere miſſaʒ. Reſpõ
detur negando conſequentiã. Quicq̄d em̃
ꝑfectiōis ſpũalis ſecularibꝰ precipitur hoc
in ſuſceptione ſacri ordinis vel in ingreſ-
ſu religionis clericus ⁊ religioſus quaſi in
mandato recipit. Nam in diebus domini-
cis ſacerdotes ſpẽaliter celebrare debent,

vtʒ de cõſe. di. ij. ca. Quotidie accipere eu-
C charíſtiã nec laudo nec vitupero: om̃ibus
tñ dñicis diebus cõicandum hortor. Tene
tur ergo q̈libet in feſtis audire miſſam. Ex
quidaʒ ſunt valde ſteriles auditores. Qui
dam em̃ fidem nõ attendũt ⁊ quidam pro-
pter pulchras mulieres limina eccľiaꝝ fre-
quentant. Alij corpe in eccľia: ⁊ mẽte ſunt
in domo aut in foro ⁊ tractant temporalia.
Alij ore loquũtur: ſed cor eoꝝ longe a deo
vagari ꝑmittunt. Alij cito ſine cauſa rece-
dunt: q̈dã tarde veniũt. Alij in eleuatione
⁊ in auditu campane cito veniũt ⁊ currũt
⁊ ſtatim facta eleuatiōe recedunt. Alij ſtãt
in cimiterio garrulãdo ⁊ tractando ibi no
ua. Alij ſunt excõmunicati: ⁊ tñ intrant ec
cleſiam ⁊ audiunt miſſam. Et ſi ſacerdos
ſcienter celebrat in ꝑ̃ſentia excõicati etiam
religioſus exemptus ip̃o facto eſt interdi-
ctus ab ingreſſu eccľie. vtʒ extra de priuiľ.
c. cõrũz. Et ſi interim celebrauerit fit irre
gularis. vtʒ de ſen. excõ. c. cũ medicinalis.
ij. vj. Scđo hoc debet facere ieiunus tam
celebrãs q̃ miniſtrãs: ⁊ audiẽtes debẽt eẽ
D ieiuni. vtʒ de ꝯſe. di. j. c. Sacr̃a altaris nõ
niſi a ieiunis hominibus celebrentur. Idẽ
patet. c. ſolent. ibidem. Et extra de tẽ. or. c.
lr̃as. Nõ em̃ miniſter debet ꝑ̃us comedere
offam ⁊ poſtea legere euãgelium: ſic etiam
audiẽtes. Et hoc ꝓpter maiorẽ deuotionẽ
Qñ em̃ hõ ieiunus eſt: tunc eſt ad deũ de-
uotior. Tertio debet fieri ſtando: ſed non
ſemper. Aliq̃n genuflectere: aliq̃n inclina-
re ſe debet. Naʒ in principio miſſe quando
ſacerdos dicit. cõfiteor. tunc oẽs circũſtan
tes debent flectere genua ſua confitendo
cum ip̃o eoꝝ pctã aut dicere pr̃ nr̃: vt deus
ſui miſereatꝛ. Scđo pōt ſedere quãdo legiꝛ
ep̃ľa ⁊ cantatꝛ graduale ⁊ alleluia ⁊ ſigni-
ficat illa tria: q̧ chr̃s in triduo illo qñ eum
mr̃ ſua ꝑdidit ſedebat inter doctores. Sed
quidaʒ etiã ſtant qñ legiꝛ ep̃ľa vt multi no
biles: q̈a Paulus cuius ep̃ľe leguntur fuit
nobilis. Aut ideo qꝛ comparat dicta ſua euã-
gelio: ſm̃ qđ ip̃e dicit: ſm̃ euãgelium meũ:
aut ꝓpter ſupſtitiōem vt aliq̃ mulieres im-
pregnate. Credunt em̃ ſed falſe ſi ſederent
qñ legiꝛ ep̃ľa q̧ puer quẽ portant in vtero
incurreret fiſtulam. i. talẽ morbũ: q̄ aperta

eſt inſania diaboli. Scdo debemꝰ ſtare qñ
E legiť euangeliũ. vtȥ de ꝯſe. diſt. j. c. apſica
vbi dicit Anaſta. papa. apſica aucte mãda
mus dũ ſancta euangelia in eccľia leguntˀ
vt ſacerdotes ⁊ ceteri nõ ſedẽtes: ſed vene
rabiliter curui in conſpectu euangelij ſtan
tes verba dñica intente audiant: ⁊ fideli=
ter adorent. i. venerenť. Cõtra qꝺ faciũt q̇=
dam vertentes dorſa ad euangelium. Un
Joannes de mãdauilla in tractatu de de=
ſcriptione terre ſctẽ dicit ꝙ ſaraceni viden=
tes lr̃as ſoldani genuflectunt ſe ante eas ⁊
ipſas adorant: ⁊ portantibus oẽm huma=
nitatẽ oñdũt quã poſſunt. Sic nos literas
oipotentis regis audire debemus reueren
ter. Debent etiaȥ ſtare capitibꝰ diſcooptis
in ſignũ ꝙ inter deũ cuiꝰ ꝟba ibi leguntur
nullũ debet eſſe mediũ: vt influxũ gr̃e faci=
liꝰ recipe valeãt: vel ne caputiũ eũ impedi=
at i auditu. Sed q̇dam nõ ſolũ qñ legiť euã
geliũ hñt caputiũ in capite: ſed etiã pilleũ:
ſic nõ frigeſcũt in pedibꝰ. Layci etiam non
debent ſtare cũ clericis in ſancta ſanctorũ.
vtȥ de cõ. di. ij. c. ſcriptũ eſt. A fortiori mu=
lieres non debẽt appropinq̃re altari ⁊ cho
F ro: niſi qñ volunt cõicare aut offerre: quia
gratũ eſt deo ſtare cũ humili reuerentia q̃ȝ
cũ arrogãti iuſticia: ⁊ hoc a longe ſicut ptȥ
in publicano qui ſtetit a lõge ⁊ percuſſit pe
ctus ſuũ dicẽs ⁊c̃. Nemo etiã debet veni=
re ad eccľiaȥ cũ falcone aut cane venatico
Quarto debet reuerenter ſe inclinare po=
nẽdo ſe ſuper genua quãdo ſacerdos vult
eleuare corpus dñicum. De hoc nota ſupe
rius in ſermone de adoratiõe corpis chr̃i.
Quinto qñ legiť Pr̃ nr̃ ⁊ illud verbum au=
ditur. Et dimitte nobis debita noſtra: tũc
debetis tundere pectora vr̃a. Quia pecca
ta venialia deleñť per pectoris tunſionem
vtȥ de pe. di. j. c. medicina. Circa quod no
tandum ꝙ pctã venialia remittunť hoi ſex
modis in miſſa: qui deuote audit miſſam.
Primo qñ dicit confiteor cum ſacerdote in
principio miſſe: ⁊ eſt generalis cõfeſſio vbi
remittuntur pctã venialia: dũmodo nõ ob=
ſtant mortalia. Secundo quotienſcũq; no=
minať Jeſus i miſſa. Actu. x. Huic omẽs
ꝓphete teſtimoniũ perhibẽt in noĩe ipſius
remiſſionẽ pctoꝝ accipe. Tunc q̇libet de=
bet deuote ſe inclinare. vtȥ de emunitate G
eccľie. c. decet domum dei. li. vj. Tertio qñ
dr̃. credo. ⁊ dr̃ illud verbũ ⁊ hõ factus eſt:
tunc quilibet debet reuerenter cadere ad
genua. Quarto qñ eleuať hoſtia: ſi q̇s tũc
reuerenter ſe inclinet. Quinto quando di
ciť. Et dimitte nobis debita noſtra: ſi quis
tunc humiliter ꝑcutit pectus ſuuȥ. Sexto
ꝑ preſbyteri bñdictionem ⁊ aque bñdicte
aſperſionem. vtȥ. xxviij. diſt. preſbyterum.
Nec ſunt tot ſtelle in celo: nec tot arene in
mari: quot ſunt gratie i miſſa. Ualet enim
primo ad corpis cõſeruationẽ: quando q̇s
deuote audit miſſam: tũc non ſeneſcit. Pa=
tet figura huius i ligno vite: quod renoua=
uit omnem corruptionem. Cuiꝰ figura eſt
hoc ſacramentũ. Jdem patet in manna q̃ȝ
diu fuerunt filij iſrael in deſerto ⁊ come=
derunt manna non fuerunt eoꝝ veſtimen=
ta attrita nec ſotulares. Secũdo valet miſ
ſa ad bonorum temporaliuȥ multiplicatio=
nem. Cuius exemplum patet in vita Joan
nis elemoſynarij de duobꝰ ſutoribus. Ter=
tio valet ad gratie augmentationem. Sũt
etiã ſpẽales gr̃e: vt ſi q̇s illa die audiuiſſet H
miſſam ⁊ moreret tm̃ valeret ac ſi cõmuni=
caſſet. Quia dr̃ de cõſe. di. ij. c. Ut quid pa=
ras dentẽ ⁊ ventrẽ. Crede ⁊ manducaſti.
Quam etiã bonum ſit audire miſſam patet
ꝑ tale exemplũ. Sacerdos q̇dam de dacia
andreas nomine cũ conuicaneis ſuis ter=
ram ſctãm adiuit. Tranſito ergo mari in
die ſctõ ſummo mane recedere voluerunt.
Quibꝰ ſacerdos dicit. Sanctiſſimus dies
eſt paſche ⁊ locus dominice reſurrectiõis
audiatis prius miſſam ⁊ poſtea recedemꝰ.
Negantibꝰ omnibꝰ ⁊ recedentibus ſacer=
dos remanſit: ⁊ dicta miſſa facto prandio
ſolus cepit inſequi precedentes. Quem
vt attigit q̇dam in equo ſedens: quid eſt ait
ꝙ ſolus ꝑperas ꝑegrinus? Et ille factum
narrans. Hac inq̇t de cauſa ſolus a ſocijs
ſum derelictus. Tunc ille. Aſcende inquit
retro me. Et ille ſic reſidẽs obdormiuit cir=
ca veſperam. Cum vero euigilaret ⁊ circũ
ſpiceret vbi eſſet: dixit ei ductor ſuus. Co=
gnoſcis ne locum iſtũ. Reſpõdit. Videť mi=
hi ꝙ eccľia q̃ ante nos eſt ſit eccleſia mea:
⁊ illa domus mea. Cui ductor. Recte ti=

bi videt̄: glorifica chr̄m cui⁹ sacr̄m venera-
A tus es. Hec dicens subito disparuit. Sa-
cerdos aūt oībus narrans magnalia quid
secū actū esset: ꝛ ꝑ regressum sociorum po
stea cōprobauit. Sic etiā ꝓpheta Abacuk
in parua hora ductus est de iudea in baby-
lonem. Tertia conclusio. Misse celebratio
atq̧ eius sacrificiū est oīm viuoꝝ atq̧ de-
functoꝝ deuotionis suffragiū. Ideo dicit̄
xiij. q. ij. c. Anime defunctorū quatuor mo-
dis soluūtur: aut oblationib⁹ sacerdotum:
aut p̄cib⁹ sanctoꝝ aut charoꝝ elemosynis
aut ieiunio cognatoꝝ. Ideo dic̄ sacerdos
qū vult offerre. Suscipe sancte pater omī-
potēs sempiterne de⁹ hanc immaculatam
hostiā: quā ego indignus famul⁹ tuus offe
ro ꝓ innumerabilib⁹ pctīs meis: ꝓ omībus
circūstantib⁹ ꝛ ꝓ oībus fidelibus chr̄ianis
viuis atq̧ defunctis ꝛc̄. Cuius veritatis
multa exempla ponit. b. Gre. in. iiij. dialo.
Primū de monacho: q̄ cū in morte sua im-
proprietatis vicio repertus esset ꝛ ꝓeo in
sterquilinio sepultus ꝛ in purgatorio tor-
mentatus. Sed Gregori⁹ missas cuidam
B fratri legendas ꝑ aīa eius iniunxit: ꝛ ipse
tertia die penas euasit. Secundū exemplū
ponit ibi de illo q̄ in fodina argenti conclu
sus fuerat ꝑ casum rupis socios opprimen
tis ꝛ necantis ꝛ volente deo viuebat. Pro
quo mulier sua credens eū mortuū obtulit
quotidie candelam panē ꝛ vinū: ꝛ sic omī
die ibi conclusus candelā panem ꝛ vinum
habuit donec illesus exiuit p̄ter tres dies
in quibus diabolus mulierē auerterat ne
ad altare offerret. Tertiū exemplū est de
milite capto: quē sua mulier credens mor-
tuum in bello: quotidie pro eo missam cele
brari procurauit. Qui tricesima die missa
celebrata de turri in qua erat cūctis viden
tibus nec impedire valentibus solutis vin-
culis ad vxorē liber rediit. Quartū exem-
plum est de illo quē eps̄ inuenit in balneo.
Nota in. iiij. dialogo. ꝛ in legenda de ani-
mabus. Aliud exemplū de beato Nicolao
de tolentino q̄ per missas redemit fratrem
suū de purgatorio cū multis aliis aīabus.
De quo nota Jordanum in vitas fratrum.
Correlariū p̄mū. Sicut hec oblatio omēs
alias precellit in bonitate ꝛ in sanctitate:

sic nulla est deo acceptior in veritate. Pro- C
batur ꝑ illud de cōse. dist. ij. ca. Nihil in sa-
crificiis mai⁹ esse pōt q̄ corpus chr̄i ꝛ san-
guis. Nec vlla oblatio potior hac ē: sꝫ hec
omnes p̄cellit. Sequitur ꝙ sicut potior est
ceteris: ita poti⁹ excoli ꝛ venerari debet.
Hec ibi. Ideo dicit deus per os Dauid re-
futando veteris legis sacrificia cōmendat
noua dicens. Non accipiam de domo tua
vitulos neq̧ de gregib⁹ tuis hircos.
Nunquid manducabo carnes thaurorum
aut sanguinem hircoꝝ potabo. Sequitur
infra. Immola deo sacrificium laudis id
est sacrificiū eucharistie qd̄ immolatur cū
laudib⁹ diuinis: ꝛ redde altissimo vota tua
Secundo patet hoc rōne: quia missa est vi-
goris īfiniti ex valore dn̄i nr̄i iesu chr̄i qui
ibi offert̄ sub eodem vigore sicut pendebat
in cruce. vn̄ Ambro. in li. de sacris: ꝛ poni-
tur de conse. dist. ij. c. reuera dicit. Utiq̧ ca
ro chr̄i q̄ sepulta est ꝛ que crucifixa est ve
illius carnis sacramētū est. Clamat ipse do
minus iesus chr̄s: hoc est corp⁹ meū. Hec
Ambro. Constat aūt ꝙ corpus chr̄i vt pen- D
debat in cruce fuit infiniti valoris ꝛ vigo
ris: alias non potuisset satisfacere pro infi-
nita offensa qua de⁹ offensus fuit. Tertio
ptꝫ hoc idē. Nā hec oblatio nō pōt impedi
ri ꝑ maliciā ministri: qr valet ex ope opera
to ꝑ christum in vigore infinito diuinitatis
chr̄i: quā non pōt haurire vel frustrare ma
licia ministri. Sed oēs alie oblationes pn̄t
impediri ꝑ malitiam operātis q̄ sunt extra
charitatē: sicut alia opera q̄ nec valēt sibi
nec aliis ad vitā eternā. Missa vero valet
ad vitā eternā omnib⁹ in charitate existen
tibus: etiam si sacerdos sit pctōr ꝛ celebret
in damnationem suiipsius. Sed hoc nō est
equaliter. Primo participāt statim omnes
fideles ī charitate existētes statim vt sunt
baptisati. De qua participatione dicit ps̄.
Participē me fac deus oīm timentium te.
Ideo dicit sacerdos accipiendo patenam
cū pane. Suscipe sancte pr̄ oīps eterne de-
us hanc immaculatā hostiā ꝛc̄. Scd̄o ali-
qui plus participant q̄ primi vt qui illi vel
isti misse astant ꝛ eā cū deuotiōe audiunt:
qd̄ venit ex deuota orone sacerdotis qui
orat ꝑ eis post generalē cōmemorationē

E oim̄ chꝛ̄ianoꝝ in pꝛimo memento cū dicit:
⁊ oim̄ circūſtantiuꝫ: quoꝝ tibi fides cogni-
nita eſt ⁊ nota deuotio. Ergo debēt hoīes
libēter audire miſſam. Tertio participant
aliqui miſſam ⁊ adhuc ſpecialius: ⁊ ſunt il
li qui ad miſſam offerunt ꝓ quibus oꝛat ſa-
cerdos adhuc ſpecialius dicens. Pro qui-
bus tibi offerimꝰ vel qui tibi offerunt hoc
ſacrm̄ laudis ꝓ ſe ſuiſqꝫ oīnibus. Tenētur
ergo ad miſſam offerre contra illos qui di
cunt ꝙ ſacerdotes poſtulant ex auaricia.
Nam oblatio fuit in lege nature: ſicut patet
in Abel ⁊ Cayn q̇ non ſolū offerebant: ſed
hanc oblatiōem que in miſſa fit figurabāt:
vt Abel agnū ⁊ Cayn fruges. Que ambo
exēplum figurabāt. Hoc idem patet Gen̄.
xiiij. Quia Melchiſedech obtulit panem
⁊ vinum: hanc oblationem in miſſa ſigni-
ficans. Idem fecit Abꝛaam q̇ obtulit arie-
tem inter vepꝛes. Secundo patet in hoc
lege ſcripta. Exo. xxiij. Non apparebis in
conſpectu meo vacuus. i. in loco ſacrificij.
Idem patet Deut. xvij. ⁊ Nume. xxix. vbi
F dicit. Hec offeretis deo in ſolennitatibus
pꝛeter dona ⁊ oblationes ſpōtaneas. Ps.
Tollite hoſtias ⁊ introite in atria domini.
Tertio patet in lege gratie de ꝯſe. diſt. j. c.
Ois chꝛ̄ianus ꝓcuret ad miſſarū ſolennia
aliquid deo offerre ⁊ reducere ad memoꝛi
am: qꝺ deus ꝑ moyſen dixit. Non appare-
bis in cōſpectu meo vacuus. Et hoc ꝓpter
ſacri venerationem vel interioꝛis deuotio-
nis repn̄tationē: vel ꝓpter miniſtri ſuſten-
tationē: q̇a q̇ altari ſeruit: de altari viuit.
Ut pꝫ. j. ad Coꝝ. ix. vel pꝛopter diuini p̄-
cepti impletionem: ſicut dn̄s cum lepꝛoſuꝫ
curaſſet dixit. Uade ⁊ oſtēde te ſacerdoti-
bus: ⁊ offer munus tuū qꝺ p̄cepit moyſes
in teſtimoniū ⁊c̄. Iſte non emit miſſaꝫ pro
denario: ibi denarius nō datꝛ in p̄cium ſa-
cramenti: qꝺ eſt inappꝛeciabile: ſed in teſti-
moniū participatiōis in ſignū deuotionis
⁊ ſacri veneratiōem: ⁊ in p̄ciū ſuſtentatio
